

DISSSERTATIO
DE
MORALI STOICORVM
COMPARATA CVM ILLA
CHRISTIANORVM.



QUAM
VNA CVM SVBIECTIS
EX VNIVERSA THEOLOGIA
THESISIBVS

PRAESIDE
D. ANTONIO IOSEPHO
ROSSHIRT,


SS. THEOL. DOCTORE, REVERENDISS. AC CELSISS. S.R.I.
PRINCIPIS EPISC. BAMBERG. ET WIRCEB. FRANC. OR.
DVCIS CONSILIARIO ECCLESIASTICO, THEOLOGIAE MO-
RALIS ET PASTORALIS PROFESSORE PVBLICO
ET ORDINARIO,

ERVditorVM EXAMINI SVBMITTIT
AVTHOR ET DEFENDENS

ANTONIVS AMBROSIVS EHLEN,

WIRCEBVRGENSIS,
PHIL. DOCTOR, REVERENDISS. AC CELSISS. PRINCIPIS
NOSTRI ALVMNVS DIACONVS.

WIRCEBVRGI
'IN AVDITORIO THEOLOGICO
DIE XXIII. MAII MDCCLXXXVII.
Horis ante & post meridiem consuetis.



Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Vniversitatis
Typographi.



Multa eaque diuersa legere est, quae partim laudi, vitio partim doctrinae morali Stoicorum cedunt. **IUSTVS LIPSIVS** magnis eam extollit laudum encomiis, vt de eo facile suspicari posses, doctrinam Stoicorum moralem ab illa Christianorum haud omnino abfimilem ab ipso iudicari. **GATAKERVS** in suo ad libros **ANTONINI** praeloquio scribit: „Disciplinam stoicam prae coeteris „Philosophorum priscorum sectis ad dogma christianum proxime accessisse, e nostris qui censuerint non desunt. **IOSEPHVS** Iudaeus in vita sua libris de bello iudaico subiuncta inquit: „Pharisaeorum secta ei est affinis, quae Graecis „stoica nuncupatur. Et **HIERONYMVS** (in



„ Esaiam Comment. Cap. 11.) verbis plane differ-
 „ tis ait: Stoici nostro Dogmati in plerisque con-
 „ cordant. Et in multis quidem conuenire ambigi
 „ non potest, siquis instituti vtriusque regulas
 „ legesque secum inuicem contulerit: in plerisque
 „ certe, opinor, quam secta alia vlla: cum nulla,
 „ credo, comperta sit, quae pietatis ac virtutis
 „ studium exercitiumque aut pluris faciat, aut
 „ altius euehat, aut fortius spiret, aut acrius
 „ vrgeat, aut penitius inculcet, aut enixius pro-
 „ uehat. “ Haec GATAKERVS, quae vt euin-
 „ cat, doctrinam Stoicorum moralem cum illa prae-
 „ primis ARISTOTELIS confert: eaque etiam, quae
 „ contra priorem obiiciuntur, diluit, nempe raritas,
 „ hypocrisis, defectio, defectus. Vilius et vix non
 „ abiecte de ea Stoicorum sentit BRVKERVS, qui
 „ alios LIPSIVM praecipue et GATAKERVM tam
 „ praeclare de re Stoicorum morali scribere voluisse,
 „ miratur. „ Vnde merito miramur, inquit, (Hi-
 „ storia Crit. Philos. T. I. P. II. L. II. C. 9.) non de
 „ grege eruditorum, sed ex ducibus et primae
 „ dignitatis viris quosdam, et imprimis LIPSIVM
 „ et GATAKERVM, quos fundamenta morbida
 „ et pestilentia Fthicae stoicae non latebant, tantum
 „ stoicae Philosophiae tribuisse, vt cum SENECA
 „ Ep. 83. sanctissimam et fortissimam Sectam no-

„ mi-

„ minare, vel illos solos Philosophos esse, fateri
 „ non erubuerint. “

Atque haec iam de Stoicorum morali iudicio-
 rum varietas meam ad id determinavit mentem,
 ut egomet ipse ANTONINI et EPICETI scripta
 peruoluerem, Stoicorumque moralem cum illa Chri-
 stianorum compararem; sic enim mihi persuasi,
 praeprimis facillime opera erui posse, quantum
 vna ab altera differat. Ordinem ne interciperem,
 utque ambages euitarem neutiquam vitandas, di-
 uersa doctrinae moralis Stoicorum principia, pro-
 ut illa in libris ANTONINI hinc inde dispersa lege-
 re est, statim cum illis Christianorum si contulif-
 sem, receptam communiter diuisionem Officiorum,
 erga Deum, erga se ipsum, & erga proximum,
 quoque recepi. Ac proin ultra mea Dissertatio in
 tres partes dispescitur: Primo quidem, quid Stoi-
 ci, & quid Christus doctrinae Christianorum mo-
 ralis author de Officiis erga Deum, secundo quid
 de Officiis erga se ipsum; ac tertio denique quid de
 Officiis erga proximum tradiderint.

CAPVT I.

DE OFFICIIS STOICORVM, ET
CHRISTIANORVM ERGA DEVM.

§. I.

Officia Stoicorum erga Deum.

Numen coeleste rerum humanarum curam gere-
re; nec vniuersi tantummodo, sed hominum
etiam singulorum, & rerum etiam singularum: re-
bus humanis praesto esse, generique humano non
ad bona vere sic dicta duntaxat, sed & ad vitae
huius commoda & adminicula suppetias ferre:
communis Stoicorum de prouidentia diuina consen-
sus est. ANTONINVS L. II. §. 3. ait: „ Deorum
opera prouidentia plena sunt. Nec quae fortuna
fiunt, absque naturae ope proueniunt, aut sine con-
nexu implexuque rerum earum, quae prouidentia
dispensantur. Inde profluunt omnia. L. I. §. 17.
Diis acceptum fero, quod bonos auos, bonos pa-
rentes, bonam sororem, bonos praeceptores, fa-
miliares, amicos, bona omnia habuerim: „ — —
etenim ista omnia Diis adiutoribus ac fortuna indi-
gebant. L. VI. §. 44 Siquid de me eisque, quae
mihi sunt obuentura, Dii consuluerint, omnia bene
consuluerunt: etenim consilii expertem Deum nec

cogitare facile fuit. „ Idem passim aliis in locis legere est.

Ex hac de prouidentia doctrina sequentia erga Deum Officia deducebant. Deum ante omnia colendum, ad omnia inuocandum, per omnia cogitandum, in omnibus agnoscendum & comprobandum, de omnibus laudandum & celebrandum: huic vni in omni negotio simpliciter obsequendum: ab ipso, quidquid aduenerit, animo prompto ac lubenti excipiendum atque amplexandum: nihil melius, conuenientius, conducibilius, nihil opportunius, aut tempestiuus, quam id, quidquid existat, quod ipse voluerit existimandum: quocumque ducere visum fuerit, citra tergiversationem aut murmurationem sponte sequendum: locum, stationemque quamcumque assignauerit, strenue tuendam, enixe tenendam, etiamsi mortem millies oppetere oporteret. ANTONINVS L. V. §. 27. „ Cum Diis viuendum: hoc autem faciet, qui animum exhibuerit ita iugiter affectum, vt rebus sibi destinatis acquiescat, faciatque, quaecumque genius ille voluerit, quem sui particulam a se auulsam Iupiter cuique attribuit, praesidem ducemque eidem futurum: hic autem cuiusque mens est & ratio., L. V. §. 33. Vbi de morte loquitur, subiungit: „ Istius tempus, donec obuenerit, quid suffecerit, nisi vt Deos colas



celebresque. L. VI. §. 23. In cunctis opem diuinam
aduoces. L. VI. §. 7. Ab vna, quae communitatem
iuuet, actione ad alteram transeas Numinis memor:
L. VIII. §. 23. Contingit mihi quidquam? ita ex-
cipio, vt ad Deos referam fonteroque omnium re-
rum, a quo, quaecunq; fiunt, ordine praestitu-
to deriuantur,, L. XII. §. 5. dicit: „Dii pulchre ac-
cum singulari erga genus humanum amore dispo-
suerunt vniuersa. §. 31. Ad illud perge, quod ul-
timum restat, Deo nempe et rationi obsequi. „

EPICURETUS Enchir. C. 31. haec de Officiis
erga Deum habet: „pietatis erga Deos id praecipuum
esse Scito, rectas de illis opiniones habere tanquam
qui existant et vniuersa bene et iuste administrent:
et ad hoc te ordinatum esse, vt illis pareas, et ce-
das in omnibus, quae fiunt, eaque Voluntarius
sequaris; vt quae optimo consilio perficiantur. Sic
enim nec culpabis vnquam Deos, nec incusabis,
quasi neglectus. „ Tandem concludit: „libare autem
et Sacrificare, et primitias offerre secundum pa-
trios ritus omnibus conuenit, pure et non sordide,
nec negligenter nec parce supra facultates. „

Haec de Numine Stoici et erga Numen affectu:
queis antequam Officia Christianorum erga Deum
opponamus: quis Deus Stoicorum sit, et quae eius-
dem prouidentia, prius indagandum nobis est.

§. II.

Causa efficiens, siue Deus Stoicorum est purissimus ac liquidissimus aether, spiritus ex igne subtilissimo artificiali constans: rationalis causa sempiterna, incorruptibilis et ingenita, quae omnis substantiae proprias qualitates formauit. Magnifice de Deo loqui Stoicos, omnes ferme eorum paginae testantur. Cautè vero intelligendi sunt, et ad principia sua reuocandi: iuxta quae Deus non magis aeternus est et ingenitus, quam materia, et ideo tantum opifex et conditor vniuersi; quia ex necessitate naturae suae mundum, motu et qualitatibus ornata materia produxit. Deus etiam ad corporalia pertinet, cum tanquam principium certum admitterent, nihil nisi corpus ad agendum aptum esse: hinc etiam ipse Deus corpus fit necesse est.

Nihil vero indignam hanc Dei notionem magis probat, quam quod Deus ille finitus sit. Sequitur id ex natura corporis, quod infinitum esse nequit: tum ex materia mundi, quae finita est; tum ex figura mundi, quae globosa est, et intra quam Deus tanquam anima latet.

Variis causa ista efficiens agensque nominibus insignitur. Nam et mundus dicitur, cuius praestantior pars est et natura, et fatum, et Iupiter atque Deus. SENECA ait: „ Quid aliud est



„ natura quam Deus? et diuina ratio toti mundo
 „ et partibus eius inserta? quoties voles, pergite,
 „ tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum
 „ compellare. “ Et paulo post: „ quaecunque vo-
 „ les, illi nomina propria aptabis, vim aliquam ef-
 „ fectumque coelestem continentia. Tot appella-
 „ tiones eius esse possunt, quot munera. “ Quibus
 verbis potissimum ad hanc Stoicorum consuetudi-
 nem respicit, qua munera vel operationes potius
 per omnes mundi partes se diffundentis et eos agi-
 tantis animae diuinae, siue rationis in totidem Deos
 mutarunt.

Quidquid igitur de Deo magnifice blaterant
 Stoici, cum hac restrictione intelligendum est, vt
 mundi ambitu et connexionem definiatur et circum-
 scribatur: qua ratione non potest non vera Dei
 notio prorsus euerri. Idem de Dei Stoicorum pro-
 uidentia dixeris.

§. III.

Est et Deus Stoicorum prouidentissimus, cu-
 ramque gerit totius eiusque partium, vt illud
 in natura se conseruet sua. Verba Stoicorum, quod
 negari nequit, splendida et augusta de prouidentia
 Dei, non ex locis exotericis, et vbi ad vulgus disse-
 ruerunt, sed ex iis Scriptorum suorum testimoniis
 iudi-

judicanda, ubi rem ipsam ex suis principiis deducunt, et in toto consequentium inter se doctrinarum Systemate de providentia disputant. Recordandum etiam Stoicos post Christum natum in doctrina de providentia Dei verbis suis se attemperasse propius disciplinae Christianorum, quae sine dubio ratio est, cur elegantissime de providentia differat EPICTETVS.

Quin et hoc praesupponendum est totius Systematis Physiologici apud Stoicos connexionem in partes vocandam et secundum principia semel admissa explicandam esse providentiam. Haec ubi accurate obseruentur, patebit: Stoicos providentiam quidem non totius tantum sed et partium eius singularum, etiam minimarum, Deo adscripsisse; sed illi, qui ipse necessaria, essentialis et interna pars illius totius sit, quique cum tanquam causa efficiens, et principium agens, internam materiam, et quidquid ipse ex materia formavit, viuificet, agitet et peruadat, intrinseca necessitate ei implicitus et connexus non aliter agat, materiam penetret, formet atque disponat, quam totius natura, et imprimis latentes in ipso causae formales, siue rationes feminales, patiantur et requirant. Nec esse hanc Dei voluntatem, quaeque in eo ponitur, curam, aliud quam motum illum activum ignis coelestis

et



et artificialis, siue subtilissimi corporis, qui materiae crassioris compagem primum in mundi faciem effinxit, et in eo interne latens eodem modo et ratione sustentat. Ex quo per se sequitur non esse hanc voluntatem liberam substantiae divinae et ab omni materiae contagio liberae determinationem bonitate et sapientia nixam, cuncta ad optimos fines liberrime electos dirigendi et gubernandi: quo sensu prouidentiae vocem capiunt, qui porticum ZENONIS hac in re cum porticu Salomonis concilianr; sed esse necessariam, et ex interna combinatione nexuque ortam sequelam, nexuum et causarum, ex natura animae mundanae vel potius totius naturae siue mundi ortam, quae certis et ineuitabilibus causarum et euentuum notis et nexibus ea facit, ordinat, dirigit, quae non possunt non ex natura totius, cuius pars est Deus, euenire. Hanc necessariam causarum et euentuum catenam, qua omnia in vnum quoddam machinamque mutuis se pulsibus vrgentem, combinantur; inesse quidem naturae diuinae, quae sola agens causa fit, nec habere extra se causam aliam, et eatenus etiam liberam esse Dei voluntatem: sed oriri tamen ex intrinseca seminalium rationum et totius natura et necessitate: adeoque Deum ipsum huic aeternae seriei causarum, et immutabili legi sub-

subiectum esse, cuius cum animi nostri pars sit, necessarie quoque et ineuitabiliter ille voluntati et curae huic diuinae parere cogatur. Hinc, quod prouidentia illis dicitur, alio nomine fatum esse adeo absolutum, et ineuitabile, vt nec Deus, nec materia, nec qui ex vtroque constat mundus, ei subtrahi queat.

Clarius vero detestabilis prouidentiae facies dispalescet, vbi sequentia considerabuntur Dogmata: quidque fatum Stoicum sit, in lucem claram ponetur.

Non distinguenda est natura Stoica ab ipso Deo: vbi enim distinguere videntur, nihil aliud intelligunt, quam ordinem et rationalem motum, quo Deus omnia in mundo peruadit. Quoniam principium hoc agens non est extra mundum, sed in eo comprehenditur, et cum materia vnum totum constituit, ita vt sit totum, quod videtur, et totum, quod non videmus; ideo necessario inhabitat materiam, quaeque ex eo formata sunt, eaque peruadit, penetrat, et ita agit, vt totius natura postulat. Sicque Deus mens est vniuersi. Hoc constanter Stoici, nec aliter quoque ex admissio semel principio statui poterant, cum non extrinsecus materiae accedat, sed intrinsecus in materia quasi lateat.



lateat. Vnde mundus natura animata et sentiens, siue animal, imo Deus dictus est.

Quia vero omnes mundi partes penetrat diuina haec vniuersi mens, ideo etiam omnibus eius partibus intime praesens est, omnia nouit, et tanquam causa agens in quauis materiae parte, omnia efficit. Valde in his quoque attributis Dei exrollendis et depraedicandis magnifici sunt Stoici: hypothesei vero primoque fundamento semel admissio, vna manu, quod exstruxere, altera deiiciunt. Etsi enim Deus hic, quidquid in mundo fit, eius causa fit efficiens; cum materia nihil agere queat, sed tantum ad omnia recipienda parata et apta sit: non tamen potest agere libera in materiam voluntate, sed necessitatis vinculo, quo tanquam pars totius materiae colligatur, et ea agit, quae natura totius requirit, nec agere aliter potest. Necessitas igitur, vt ait SENECA, ipse sua est, qua ipse constringitur. Ex quo luculenter patet, quam iniurii in veram omnipotentiae diuinae notionem Stoici fuerint. Nec hoc solum, sed non potest omnia in hanc materiam Deus, et quidquid vult, efficit, sed in multis rebus, verbis SENECAE vtimur, illum tractanda destituunt. Idem de omniscientia dixeris et omnipraesentia: ea enim ignis subtilissimi, in suprema aetheris parte residentis, et per omnes mundi

mundi partes sese diffundentis praesentia est, quae quantum distet a diuinae naturae immensitate et omnipraesentia, primo intuitu cognoscitur.

Spiritus porro huius agitatione et operatione, cum is in materiam ageret, ita formatus est mundus, ut qualitates, quae in ipso erant, illi imprimere, sicque mundum fingeret: hinc conditor parensque rerum omnium est: et quoniam eam perpetua agitatione penetrat et peruadit, ut natura conseruetur, ideo conseruator quoque et administrator eius est.

Non tamen libera voluntatis determinatione ad condendum mundum accessit Deus, sed cum pars totius esset, natura in eo comprehensus, tantum disrupto quasi materiae cortice, in qua latebat, agitatum a se mundum intrinseca natura produxit: unde etiam aliter operatus non est, quam natura totius, et interna tum agentis, tum patientis partis necessitas permisit.

Est itaque in natura totius aeterna et immutabilis lex, atque ordo causarum et effectuum, ita arcte inter se copulatarum, tamque necessario inter se nexu iunctarum, ut in mundo aliter nihil agi, fieri, et euenire queat, quam hic ordo, haecque naturae lex postulat. Et hoc quidem fatum est.

Fato



Fato itaque huic subiecta sunt, et nihil in vniuerso est, cui non imperet. Adeoque ipse Deus fato regitur, nec potest is aliter agere, quam aeternus et facer ille atque inexplicabilis nodus et catena rerum omnium permittit.

Detrahunt hae assertiones stoicae laruam toti eorum Physiologiae, et quam inermis sit eorum Deus, quam impia et in Dei et humani animi libertatem iniuria haec secta, manifestum faciunt. Nihil hic hominibus his affingimus, sed propria eorum decreta damus. Ex quibus CHRYSIPPI imprimis definitio notanda, quam seruauit GELLIVS: „Fatum, inquit ille, est sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum et catena, „ voluens semet ipsa et implicans, per aeternos „ consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque est. “ Nec aliter SENECA: „Fata nos „ ducunt, et quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causa, „ priuata ac publica longus rerum ordo trahit. “ Et ita quoque passim EPICETVS et ANTONINVS. Quorum prior Enchir. c. 52. ea habet: „Duc „ me, o Iupiter, et tu fatum, quocumque a vobis sum destinatus; quippe, qui impiger sequar, „ quod si noluero, improbus factus, nihilominus „ sequar. Quisquis autem necessitati probe se „ accom-

„ accommodat, sapiens apud nos habetur, et diui-
 „ na cognoscit.“ Et ANTONINVS L. III. §. II.
 dicit: „ De singulis rebus dicendum est: hoc di-
 „ uinitus venit: hoc a fati serie connexa contexta-
 „ que: vel a concursu fortuito istiusmodi.“ L.
 IV. §. 26.: „ Ab initio tibi quidquid contingit, ab
 „ vniuerso destinatum et fato certo assignatum
 „ est.“ §. 34.: „ Fato sponte tua te dedas, ei
 „ permittens, quibuscunque libuerit, te rebus
 „ destinet.“ Nec regeri potest, quod ex SENE-
 CA obiicit LIPSIVS, Diss. 12. in omnes se partes
 vertens, vt impietatem a Stoicis auertat: „ Non
 „ externa Deos cogere, sed suam illis in legem vo-
 „ luntatem esse.“ Ludit enim SENECA ambigui-
 tate vocis Deus, qua non tantum pars agens, sed
 et totum hoc, quod ex agente et patiente parte
 constat, intelligitur. Huius vniuersi voluntas, na-
 tura, dispositio, fatum, necessitas, cum, non
 diffidente SENECA, vnum idemque sint, voluntas
 Dei hanc necessitatem gignere recte quidem dicitur;
 ast non libere, sed necessitante natura sua, id est,
 mundi. Quodsi vero Deus pars intelligitur totius,
 efficiens, et illi ordini et necessitati totius non mi-
 nus, quam materia, subiicitur, et monente SENE-
 CA: „ Eadem necessitas et Deos alligat, ac irre-
 „ uocabilis diuina pariter atque humana rursus



„ vehit. Ille ipse omnium conditor et rector scri-
 „ psit quidem fata, sed sequitur, semper paret,
 „ semel iussit. “ Nihil tamen habet extra se causa
 illa rationalis, quo cogatur, cum non sit aliud
 praeter totum, nisi vacuum infinitum: vnde nihil
 aliud ipsum quasi necessitat, nisi sua natura, quam
 et ipsa sequitur, et quaecunque partes ipsius sunt,
 sequi debent. Hinc libertas Dei et hominis constat.
 Ista quidem, Stoici, qui inuenustum fati pullum
 mire se comisisse et exornasse putant, Deumque a
 fati necessitate liberasse, si necessitatis causam ad
 voluntatem et naturam Dei referant, et homini
 quoque libertatem asseruisse putant. Vtrumque do-
 lose et verbotenus tantum: quid enim est, quod ait
 SENECA: „ Nec Deus ob hoc minus liber est aut
 „ potens: ipse enim est necessitas sua. “ An non
 voce libertatis ludit Philosophus, quae ea facit,
 quae natura sua ita ferente non facere non potest.
 Ita et homo liber est, cuius libertatem eleganter
 describit CLEANTHES: „ Duc me parens, coe-
 „ lique dominator poli, quocunque placuit, nulla
 „ parenti mora est. Adsum impiger, fac nolle,
 „ comitabor gemens; ducunt volentem fata, no-
 „ lentem trahunt, malusque patiar, quod pati li-
 „ cuit bono. “ Quod hoc exemplo illustrasse Stoi-
 cos refert Pseudo-Origenes c. 21. „ Alligatur
 „ vehi-

„ vehiculo canis; siquidem voluerit sequi, tum
 „ simul et sequitur et trahitur, per necessitatem
 „ quasi fatum exequens etiam id, quod liberum
 „ est; si vero noluerit, prorsus a necessitate co-
 „ gitur: eadem prorsus hominum conditio: co-
 „ guntur enim necessario vel inuiti in illud descen-
 „ dere, quod fatali constitutum lege. “ Ita scilicet
 miro connubio iungebant Stoici libertatem et neces-
 sitatem: et vocibus ludentes veram libertatis no-
 tionem prorsus euertebant.

Perspecta iam doctrina Stoicorum de Deo,
 eiusdem prouidentia, cognitis item officiis huic
 Numini praestandis; quid Religio christiana de Deo,
 prouidentia et officiis Deo debitis doceat, et quan-
 tum ab hac ista Stoicorum distet, videamus.

§. IV.

Officia Christianorum erga Deum.

Altiora multo et Deo digniora sentiunt Christiani.
 Est his, diuina reuelatione edoctis, Deus, Spi-
 ritus infinitus, immensus, increatus, aeternus,
 omniscius, vbique praesens, omnibus perfectio-
 nibus praeditus. Qui mundum hunc ex nihilo,
 sola omnipotentia et independenti, atque nulla phy-
 sica necessitate coactus, et vere libera voluntate
 procreauit, tam quae sursum in coelo, quam quae



deorsum in terra; sola et infinita sua bonitate, nulla mouente et compellente alia causa. Mundum prouide gubernat et conseruat. Cognoscit insuper mens lumine diuino illustrata, in hoc vno vero Deo, tres personas a se inuicem distinctas: Patrem, qui omnia creauit: Filium a Patre genitum, qui amore compulsus homo factus, ipse diuinam suam doctrinam homines docuit; eosdemque ob peccatum originale diabolicae potestati subiectos, per mortem et resurrectionem suam redemit, Deo Patri suo reconciliauit, et aeternae suae felicitatis participes fecit. Spiritum sanctum a Patre Filioque procedentem, qui nos sanctificauit. Credunt et Deum hunc aliquando venturum ad supremum iudicium in poenam aeternam malorum, in remunerationem vero aeternam bonorum. Haec de Deo Christiani, de eiusdem proprietatibus, de prouidentia praecipue, quid?

Deus Spiritus infinitus nullam aliam causam suae existetiae, quam a se ipso, habens, est immutabilis: „ Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur. “ Num. c. 23. v. 19. „ Initio tu Domine, Psalmista ait „ Psalm. 101. v. 26 — 29., terram fundasti: et „ opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, „ tu autem permanes. — — Sicut opertorium „ mutabis

„ mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem
 „ ipse es, et anni tui non deficient., S. Iacobus
 Epist. c. I. v. 17. ait: „ Omne datum optimum, et
 „ omne donum perfectum desurfum est, descendens
 „ a Patre luminum, apud quem non est transmu-
 „ tatio, et vicissitudinis obumbratio. “ Et quomodo
 etiam Spiritus ille infinitus et supremus, a se ipso,
 et per se ipsum solum existens, et ab omni alia re
 plane independens, a vi quadam externa mutationi
 subiugari poterit? Ex hoc ipso, quod Deus sit
 immutabilis, sequitur, illum etiam esse aeternum.
 Maxima enim, quae fieri potest, mutatio certe ea
 est, a non esse ad veram existentiam. Qui solum a
 se ipso est, certe etiam aeternus; alias enim aliam
 suae existentiae causam prae se habere deberet, et
 hoc ipso non a se ipso existeret. — „ Priusquam
 „ montes fierent, aut formaretur terra et orbis:
 „ a saeculo et vsque in seculum tu es Deus. “ Ps.
 89. v. 9. „ Rex Regum et dominus dominantium,
 „ qui solus habet immortalitatem. “ I. Tim. c.
 6. v. 16.

Deus ergo nobis est Spiritus infinitus, a se
 ipso existens, immutabilis et aeternus: sed eundem
 hunc Deum esse et omniscium et prouidentissimum,
 diuina nos edocet reuelatio.



Vt a reuelatione Veteris Testamenti incipiam, quam praeclare non describit Vates Ps. 138. omniscientiam et prouidentiam Dei: Domine, ait, probasti me, et cognouisti me, intellexisti cogitationes meas de longe: omnes vias meas praeuidisti: ecce Domine, tu cognouisti omnia, nouissima et antiqua: mirabilis facta est Scientia tua ex me. Quo ibo a Spiritu tuo? Et quo a facie tua fugiam! Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto. “ Jerem. C. 17, v. 10. „Ego Dominus scrutans cor et probans renes: quando vnique iuxta viam suam, et iuxta fructum adinventionum suarum. “

Ex Nouo Testamento quoque discimus, prouidentiam Dei extendi ad minima, adeoque specialissimam esse. Minima etiam et visu nobis vilissima curans prouidentia diuina, magis adhuc singulis hominibus, vtut minimae etiam conditionis fuerint, prouidit. Audiamus Christum ipsum loquentem: Matth. C. 10, v. 29. ait: „Nonne duo passeris asse veneunt? Et vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. “ Matth. C. 6, v. 25. Ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis:

ducetis: nec corpori vestro, quid induamini. Respici-
te volatilia coeli, quoniam non serunt, neque me-
tunt, neque congregant in horrea, et pater vester
coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis il-
lis; de vestimento quid solliciti estis: considerate
lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque
nent. Si autem foenum agri, quod hodie est, et
cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quomo-
do magis vos modicae fidei. V. 31. concludit:
„Nolite ergo solliciti esse, dicentes: quid mandu-
cabitur, aut quid bibemus, aut quo operie-
mur? Haec enim omnia gentes inquirunt: Scit
enim pater vester, quia his omnibus indigetis.“

Satis ex hisce patet, singulis etiam minimis
rebus providere omniscium Deum: non necessitante
ipsum, ut Deum Stoicorum, natura sua, adeoque
nullo fato subiectum; eadem enim libertate, qua
Deus mundum hunc ex nihilo, sola omnipotentia
et bonitate sua creavit, pari eundem et sapientissi-
me gubernat, et cuncta in eo optime disponit.

Ex perfectiori hac et genuina magis Dei eius-
que providentiae notione altiora etiam et perfectiora
officia fluere necesse est.

§. V.

Paulus in Epist. ad Titum omnia Officia vel actio-
nes, quibus nostrum erga Deum obsequium



praestamus, per pietatem complectitur. Christianus Deum ut summum aeternumque benefactorem, super omnia diligit, eaque tenerrima ac deuotissima animi propensione. Defert ipsi cultum Latinae, ipsique promptissimam, exactissimam, firmissimamque obedientiam praestat. De ipsius omniscientia aequae ac paterna prouidentia conuictus, certoque persuasus, iustissimum nihil sibi mali illaturum, spem suam omnem in illo solo reponit. Gratiam ipsius solummodo appetens, quamque si possideat, felicissimum se habens, voluntati patris sui coelestis semper optimae se suamque sortem committit, subiicit. Sancto quodam timore percussus, totus in eo est, ut quouis vitae momento sua in Deum pietate, cui dies quaelibet augmentum adhaeret, ac rectitudine ipsius gratiam magis magisque sibi conciliet; id solum curans maximique infortunii loco habens, ipsum inimicum si habeat. Idem ipse iam, cuius animus hoc modo in Deum affectus est, quique leges ipsius sanctissimas ad amissimam obseruat, intra se plus quietis, gaudii, placidi, ac roboris in virtute indies persentiscit, atque idcirco magis magisque experitur, ut exercitatione non intermissa eo deueniat, ut contemplatione huius uniuersi dignorum sanctorumque hominum cognitione, sorte sua propria, rebus, quibus-

buscunque obuiis, in medio negotiorum strepitu, atque in conuersatione, Dei nunquam non reminiscatur. Summa insuper animi sollicitudine in hoc sese exagitans, ut omnia sua, quae muneris ipsius ratio exposcit, negotia ac officia, secundum hanc et in hac Dei cognitione peragat, exequatur, absoluat. Cultus isthic Dei internus via ipsi ad externum, quem nunquam intermittit, rectissima est. Primum zelo feruoreque pro Dei gloria succensus, desiderio dein, omnes ac singulos ad eandem hanc dignitatem et felicitatem promouendi, agitatus, verus Dei cultor, sermones, actus, totamque vitae rationem, pro interna sua pietate, semper ita instituit et disponit, ut iis omnibus, quibuscum res ipsi, ac negotium est, ad veram religionis aestimationem, dignumque Dei cultum stimulum quoque addat. Quid quod sine religione cum nec ordo, nec salus societatis civilis subsistere possit, in conuentibus ad celebrandum cultum Dei publicum, Altissimo, demississimam suam pietatem sine dissimulatione palam facit. In confirmanda, ad Dei gloriam, religionis suae veritate, bonorum etiam, honoris, quin et vitae suae dispendio, difficilem nullo modo se praebet. Quod ex superiorum praecepto, in bonum veritatis, iurandum ipsi iuramentum eius sancta semper ipsi fides est.



Sunt haec officia Christiano erga Deum praestanda. Cognita iam etiam doctrina Christianorum de Deo, prouidentia et officiis Deo debitis, transimus ad Officia erga se ipsum: et quae vtriusque moralis doctrina sit, indagemus.

CAPVT II.

DE OFFICIIS STOICORVM ET CHRISTIANORVM ERGA SE IPSVM.

§. I.

Officia Stoicorum erga se ipsum.

Stoici admiratione excellentium proprietatum tum **SOCRATIS**, tum aliorum vetustatis nobilium Virorum rapti sublimiaque sentientes, prae coeteris Philosophis in indagandis erga se ipsum officiis nobilissimum finem sibi praefixerunt. Nihil minus intenderunt, quam hominem, nullo habito infirmitatum eius et defectuum respectu, felicitate et perampla agendi capacitate Deo adaequare. Atque ab audaci hoc molimine nec fragilitas corporis nostri, nec instinctus et indigentiae, quas anima respectu corporis cum brutis communes habet, nec illa arcte cum humana anima connexa habendi cupiditas, eos deterruit. Audacter omnia haec impedimenta remouentes, applausum admirationem-

que

que totius antiquitatis nacti sunt, quae eorum progressu stupida obmutuit.

§. II. *

Naturalis illa obseruatio, quae in quolibet de se ipso reflectente exoritur, omnes nempe res extra nos positas, prout vel utiles vel noxiae, diuersas voluntatis motiones producere, vt frui illis, aut potius liberari illis cupiat optetque animus, primum simplicissimumque totius systematis fundamentum constituit. Cum vero hunc conatum, contraria omni experientia, brutis denegare non potuerint, distinxerunt conatum rationalem ab irrationali; atque exinde adpetitum et auersionem deriuarunt. Voluntatis motiones hasce omnino liberas esse affirmarunt: i. e. habemus facultatem adpetendi et auersandi, nihil extraneum mouere nos potest, vt appetamus vel auersemur. Nemo, aiunt, nos impedire valet, quo minus veritati agnitae assensum praebeamus: nemo cogere, vt falsum, verum habeamus: adfectus nonnisi adfectu debellari potest. Ibi quoque adfirmare, externam coactionem locum non habere, si comminatione mortis ad rem quandam petendam vel detestandam moueamur: in tali enim casu, agendi rationem contineri
in

* Liedemann System der Stoischen Philosophie
dritter Theil.



in nostra persuasione, vi cuius, comminationibus obtemperare malimus, quam mori: ficque in hoc etiam casu authorem actus ponendi non esse mi-
nantem, sed nostram persuasionem: i. e. adfectus adfectum deuincit. Hisce addiderunt et illud, pa-
rum nobis prospexisse Deum, nec ceu Deum se erga nos exhibuisse, nisi animam nostram ratione praeditam partemque suae ipsius essentiae, omni externa coactione, ea etiam, quam ipse producere potuisset, immunem creasset. Vis huius conclusio-
nis in eo est: quodsi ab extra ad agendum impelli possemus, tunc omnimode nostrum non foret, integram felicemque vitam agere, eo quod optima proposita et principia nostra externis mutarentur circumstantiis.

§. III.

Studium conseruationis sui ipsius Stoici amorem sui appellarunt, eumque seu primarium et essentialem adfectum agnouerunt. Qui vero amor sui ipsius, iuxta eorum principia, nihil nisi conseruationem et media huius conseruationis tum anima-
lis, tum rationalis vitae humanae comprehendit. Sensualem voluptatem omnino distinxerunt ab iis rebus, quas a natura poscimus. Vt vero illam obiectionem eluderent, homines tali modo ineptos fore ad curam aliorum gerendam, actionesque
communi

communi vtilitati feruientes ponendas, si quaecun-
que ex amore sui ipsius peragerent, dixerunt:
„Deus naturam entium rationalium ita ordinauit,
vt, quod ipsis bonum et proficuum est, obtinere
nequeant, nisi insimul bonum commune promo-
uere studeant: amor igitur nostri ipsius non impe-
dit, quominus et aliis beneficiamus.“

Quam improprie Stoici amorem sui ipsius nor-
mam omnium adfectuum statuerint, cuius refle-
ctenti experientia testatur. Disconuenientiam hanc
haud ignorarunt Stoici; ne enim admissio semel
principio suo contradicerent, multis distinctionibus
subtilibus et consequentiis non raro sibi met con-
trariis inuenerunt principium hoc: honestum vel
decorum, quod in harmonia nostrarum actionum
consistit, summum et adpetitu dignissimum homi-
nis bonum esse.

§. IV.

Stoici bonum adpellarunt, quia significatum verbi
huius unice ad perfectionem hominis respectu
moralis conditionis eius reducere: omne id, unde
virtutem acquirimus: quo autem vitiis inquina-
mur, malum denominarunt. Varias boni defini-
tiones dedere CICERO de fin. III. 10. SENECA
Ep. 118. et LAERTIVS VII. 94. quae simul
sumptae



sumptae Stoicorum principium constituunt: illud tantum bonum est, quod semper et constanter creaturis rationalibus vtile est. ANTONINVS Lib. VIII. §. I. dicit: „ Expertus iam es, per „ quam multa diuagatus vitam bonam beatamque „ nunquam inueneris; non in syllogismis, non in „ diuitiis, non in gloria, nec in voluptate, nec „ vllibi. In quonam ergo consistit? In eis facien- „ dis, quae exigit natura humana. At haec quo- „ modo quis faciat? Si decreta nactus sit, a qui- „ bus appetitiones actusque istiusmodi profluant. „ Quaenam, inquis, decreta? De bonis malisque, „ vt nihil nimirum homini bonum censeat, quod „ non iustum, temperantem, fortem, liberalem „ faciat: nihil malum, quod non istis contra- „ rium. “ Haec ANTONINVS de bono.

Clare hic Stoici prioribus principiis suis contra- dicunt, iuxta quae quodlibet animal, adeoque et homo illud adpetit, quod naturae suae consentaneum est, vti sunt valetudo, robur: quae cum ex natura sua adpetitu digna sint, necessario etiam bona esse debent. Vt vero officia nostra impleamus, et ipsas virtutis sanctiones obseruemus, interdum requiritur, vt haec omnia relinquamus, quin imo contrarium non raro adpetamus: ipsa ergo virtus nos cogit ad aliquid naturae nostrae contrarium, quod

quod ideo ex natura nullum adpetitionis obiectum esse potest, exposcendum.

Primum Corollarium conceptus boni est hoc: praeter virtutem nil reuera bonum esse posse: eo quod virtus sola humanae naturae consentiat, reliqua omnia partim iam vtilia, partim iam noxia, partim etiam hominibus cum brutis communia. Virtus sola si bona est, hinc bonum et malum iis rebus tantum inest, de quibus disponere nobis licet: quod corpus concernit, indifferens est. Si enim bonum in rebus nobis non subordinatis haberetur, ille, qui haecce non assequeretur, vel affecutus, iis priuaretur, felix non foret: quia contradictionem inuoluit, beatum esse, nullo consecuto bono: necessario ergo ea tantum bona aut mala sunt, quae consequi, vel non, penes nos est. Si iam bonum vnice in ordinato adfectuum nostrorum vsu consistat, et hi nonnisi ratione regantur, sequitur, bonum absque ratione nullum haberi. Nullum bonum sine ratione est. SENECA Ep. 66.

Propositiones hae: Virtus sola bona est, et omne bonum rationis vsu ad recte gubernandos adfectus continetur, hanc conclusionem producant: nec vir iustus nec actus virtute conueniens, bonum adpellari potest. Stoici hasce disconuenientias perspicentes, aliam boni definitionem dedere: et illud

non



non solum bonum vocarunt, quod prodest, sed et quod prodesse potest, et fortuito etiam prodest. Tres exin iique varii boni significatus, ideoque etiam tria diuersa genera boni oriebantur: 1mo, omne vtile; 2do, quod fortuito prodest; 3tio, quod bono promouendo par est.

Ex datis hucusque boni explicationibus sequentes immediate fluunt proprietates: bonum est *λυσιτελης* vortheilhaft, est *χρησιμον* brauchbar, est *ευχρησον* es ist werth, daß man es gebrauche, est *δικαιον* es ist werth begehrt zu werden, es ist recht: mäßig, est *καλον* es ist endlich und vorzüglich anständig.

§. V.

De vltima hac propositione Stoici omnium maxime differunt, eique omnia reliqua eorum praecepta moralia innituntur, maiori hinc indagine digna. Sub honesto, vt ait LAERTIVS, intelligunt perfectum bonum, quod omnes partes in se continet, quas natura cuiuslibet rei exposcit: hinc ei iustitia, fortitudo, honestas et intellectus adiunguntur; quod omnia haec ad honestum et laudabilem actum requiruntur. CICERO quoque has partes ad honestum reducit, licet expresse non statuatur, doctrinam stoicam hisce contineri. Patet exin, iustitiam, fortitudinem, prudentiam et tem-

pe-

perantiam omnino nostrae naturae conuenire, omnesque actus hisce virtutibus contrarios, homine indignos et inhonestos cenferi. Cum ergo honestum in eo consistat, vt laudem nobis conciliet, vel vt fini suo plane accommodatum sit, patet, omnia supra allegata ipsas honesti partes esse: honestum et decorum vnice bonum esse; eoquod bonum adpellarunt, quod nostrae naturae correspondet, quod vbique vtile, et virtutis sanctionibus conueniens est. Honestum solum bonum esse, tanquam fundamentum totius eorum doctrinae moralis, multis rationibus dilucidant, quae omnes principio illo innituntur, honestum solum naturae et dignitati hominis conuenire.

Quod diuisionem boni spectat, Stoici bonum varie diuisere, ratione subiecti, possessionis et dignitatis. Summum bonum vocarunt finem bonorum; qui nil nisi vltimum principium doctrinae moralis fuit, quod communem normam constituit, ad quam vita instituenda, vndeque omnia vitae praecepta fluunt.

Summum bonum hoc Stoici varie exprimentes, vltimatim tamen semper conuenerunt; alii dixerunt: harmonice viuendum est, id est, ad vnicam nobiscum conuenientem methodum vita instituenda. Optime SENECA explicat Ep. 20. : „Fa-

C

„ cere



„ cere docet Philosophia, non dicere: et hoc exi-
 „ git, vt ad legem suam quisque viuat, ne ora-
 „ tioni vita dissentiat, vt ipsa inter se vita vnus,
 „ sine actionum dissensione, coloris sit. — —
 „ Vnam semel, ad quam viuas, regulam prende,
 „ et ad hanc omnem vitam tuam exaequa. Qui-
 „ dam se domi contrahunt, dilatant foris et ex-
 „ tendunt: vitium est haec diuersitas, et signum
 „ vacillantis animi, ac nondum habentis tenorem
 „ suum. — — Quid est sapientia? Semper idem
 „ velle atque idem nolle. Licet illam exceptiuncu-
 „ lam non adicias, vt rectum sit, quod velis.
 „ Non potest cuiquam semper idem placere, nisi
 „ rectum. “ Haec SENECA. Alii, quibus prin-
 „ cipium hoc displicuit, adseuerarunt: naturae con-
 „ uenienter viuendum: id est, Deum sequi et legi-
 „ bus obedire. ANTONIN. L. X. §. II. Et sic
 „ alii aliter hoc principium explicabant. Ex his om-
 „ nibus deduxerunt: honestum summum bonum
 „ constituit; ita argumentantes: naturae conuenien-
 „ ter viuens sapienter viuit; qui autem sapienter vi-
 „ uit, vitam secundum virtutis regulas agit: talis
 „ autem vitam honestam viuit.

Cum itaque naturae conuenienter viuere sum-
 „ mum bonum sit, adparet, honeste viuere, sum-
 „ mam legem esse, ad quam homo sese componere
 „ debeat, si felicitatem cupiat.

Con-

Contenderunt porro, honestum propter se ipsum appetendum esse, admissio semel, honestum vnicum bonum esse, insuper et summum bonum esse statuerunt, adeoque propter se ipsum appetendum. Voluptas igitur nullum virtutis motiuum esse debet: hancque sententiam contra EPICVRVM defensuri, docuerunt: virtutem, licet eam voluptas comiteretur, nihilominus ob solam voluptatem adpeti non posse, eo quod voluptas tantum mediate ex virtute fluat, et vir rectus ac integer cum virtutem adpetat, eo ipso etiam necessario felicitatem nanciscatur.

Summum bonum nec augetur nec minuitur, honestum enim, aiunt, obtinetur harmonia actionum cum dignitate hominis et virtutis regulis: haec autem harmonia nec augeri nec minui potest; si enim actioni plures, ac ad perfectam requiruntur, proprietates insunt, stricte bona non est: limites enim excedit: tum vero proprietates desiderantur, eodem modo perfecte bona non est: nulla itaque res alia magis minusue honesta dici potest: id quod Stoici sic exprimunt: summum bonum nec augeri nec minui potest.

§. VI.

Necessario ex hac de honesto doctrina sequebatur, omne id, quod virtutem aut scelus non inuol-



uit, (opprobrium solum enim malum vocarunt) nec bonum nec malum, ideoque indifferens esse. Ne autem adoptata hac sua sententia omni experientiae et datae definitioni amoris sui contradicerent, obseruarunt verbo *αδιαφορον*, tres, eosque diuersos significatus inesse: primo talia designari, quae nec appetimus, nec auersamur: secundo illa, quae quidem appetimus aut auersamur, neutrum tamen praeponimus: tertio denique ea, quae nos neque felices neque infelices reddunt. De prioribus duabus significationibus, quod nec virtus nec scelus vocari possit, indifferens esse, non adfirmarunt; proprio enim sensui interno, et omnium hominum notionibus contradixissent: in vltima vero maiori iure adfirmari posse crediderunt, et iuxta stabilita eorum principia defendere debuerunt. Ad ea, quae nec virtutem nec vitium includunt, numerarunt: vitam, valetudinem, voluptatem, opes, honorem etc. eorumque opposita, mortem, morbum, dolorem, egestatem etc. Haecce indifferentia esse, i. e. nos nec felices nec infelices reddere, LAERTIUS VII. 102. et SENECA Ep. 85 — 87. multis rationibus ostendunt; quae omnes vnice euincunt, sic dicta intermedia nec moraliter bona nec mala esse.

Finis omnium harum rationum Stoicorum in eo est, ut indifferentia erga morbum, valetudinem, vitam et mortem in nobis oriatur, et magis in exercitio virtutis roboremur. Ast iuxta propositum hunc finem ostendere potius debuissent, valetudinem, morbum, opes, egestatem, honorem et contemptum pari passu ambulare, et neutrum horum altero magis gratum, vile magis, humanaeque naturae consentaneum esse: haecce vero, quin et totam oeconomiam humanam aut negarent, aut destruerent, asserere non poterant.

Praesupposito iam, haec adnotata esse indifferentia, ita ulterius concluderunt: qui ergo honestum summum bonum iudicat, nec dolore nec voluptate, nec fortuna dextera aut sinistra moveri potest, et quaecunque extra eum posita, in animum haud influunt. Hac ratione plures cessant rationes, cur homines contenti, tranquilli et felices non sint. Si iam homo ea tantum bonum reputat, de quibus disponere potest, fortunae et tranquillitati suae omnino dominatur, nihil eum impedit, quominus proposita actu perficiat, et vota perfecte expleat. Felicitas immutabilis et constans in eo consistit, ut ab extra non turbemur, ac nobis ipsis dominemur: hinc qui honestum, summum bonum habet, semper omni ex parte felix est. Quicun-



que virtutis praecepta obseruat, sapiens audit; consequenter omnes sapientes immutabili et constanti felicitate fruuntur. Patet vltterius ex praecedentibus, summum bonum, iuxta principia Stoicorum, nec augeri nec minui, quilibet eo affecto perfecto etiam modo possidet: omnes exin sapientes aequae felices, et aequali cum Deo ipso felicitate gaudent. Virtus igitur felices nos reddit. Cuius felicitatis naturam SENECA Ep. 124. describit: „Tum
 „ beatum esse te iudica, scribit, cum tibi ex te
 „ gaudium omne nascetur: cum in his, quae ho-
 „ mines eripiunt, optant, custodiunt, nihil inue-
 „ neris, non dico quod malis, sed quod velis.“

§. VII.

Felicitas itaque possessione virtutis exurgit: cuius verbi Stoici triplicem significatum aduerterunt: quoad primum generatim quamlibet perfectionem designat: vi secundi, perfectiones contemplatiuas; vti prudentiam: in tertio denique perfectiones physicas hominis, vti sanitatem, denotat. Ideo autem virtutes vocant, perfectiones contemplatiuas, ἀρετή θεωρηματική, quod certis reflexione enatis et ratione agnitis principiis nituntur: prudentia enim et iustitia absque regulis actionum et indagatione harum regularum cogitari non possunt. In media
 hac

hac significatione, virtus communiter accipitur, nam per eam tantummodo honeste et dignitati nostrae conuenienter operamur. Ad moralem hanc perfectionem duo requiruntur: primo recta et firma regularum notio, ad quas agere oportet: secundo habitus vsu acquisitus in omni casu iuxta regulas hasce procedendi. SENECA Ep. 76. virtutem, rationem perfectam appellat. STOBÆVS virtutem definit, immobilem animi statum per totam vitam continuum. Recte Stoici essentiam virtutis, persuasionibus, principiis practicis et rationis gubernatione comprehenderunt: impossibile tamen nihilominus nobis est, eadem semper per totam vitam tenere, agendo nunquam aut cogitando contradicere: rectius hinc virtutem tanquam studium huius virtutis definiissent. Stoici ipsi hoc ceu impossibile agnouisse videntur, nunquam enim alias, virtuti nihil impossibile inesse, ostendere al- laborassent. Historia atque cum aliis conuersatio, perfectionem hanc adpetere possibile esse, sufficienter euincunt: hominem vero eam assecutum, nunquam testantur. Ad explodendam hanc obiectionem exempla SOCRATIS, ANTISTENIS et DIOGENIS adduxerunt, qui vtique in virtutis semita felicissime progressi sint. Celebres hi Viri, argumentarunt Stoici, tantopere in virtute cum profecerint,



cerint, certe eam quis sibi penitus appropriare valet. Hac via Stoici virtutis studiosum traducere cogitantes, facillimo modo per deuiam eam seduxere, facile enim ratiocinari potuit, nobiles hi Viri perfectionem si non attigerunt, multo minus et nos, longe illis imperfectiores.

Virtuti Stoici vitium opposuerunt. Vitium ignorantiam earum rerum vocarunt, quarum notio virtutem constituit. Virtutem inter et vitium, medium nullum agnouerunt; necessario enim quemlibet iustum vel iniustum, temperantem vel intemperantem esse debere; virtus ergo vbi deest, adest vitium. Quemadmodum virtus sola felicitatis fons, ac propter semetipsam appetenda, sicut omnes virtutes aequales sunt, ita vitium solum infelicitatem procreat, quia obest, humanaeque naturae ac dignitati aduersatur: eodem modo vitium propter se ipsum aduersandum: omniaque vitia aequalia sunt.

Ex stabilitis supra Propositionibus; virtutem inter et vitium medium nullum intercedere: virtutem et vitium reuera existere: hoc deduxerunt paradoxum: sapientem omnes virtutes, insipientem vero omnia vitia in se coniuncta habere. Respectu virtutis enim et vitii, dixerunt, duo tantum sunt hominum genera, alii virtuti, vitio alii dediti:

dediti: exin primi generis homines semper omni ex parte recte, secundi vero male semper agunt: sapiens proinde ingenii sublimis, nobilis et immutabilis est: insipiens vero omnia, proprietatibus hisce contraria vitia possidet.

§. VIII.

Inter alias Stoici sapientis proprietates ea eminent, quod omnium adfectuum expers dici queat. Repraesentationes boni aut mali duplici modo voluntatem mouent vel eo, vt motio haec rationis regulis concordet, vt Appetendum sectemur, et ea quidem vi, qua appeti debet: aut illo, vt appetitu indignum cupiamus, et maiori, ac oportet, nisu: illos adfectus rationi conuenientes, hos autem ratione discrepantes: item alios constantes, vehementes alios: primi generis appetitus bonos, secundi vero affectus et passiones vocarunt.

Duplicem adfectuum causam assignarunt: primo causa proxima, qua in casibus indiuiduis producantur, et haec opinio falsa est. „Perturbant „homines, verba sunt EPICTETI, non res ipsae, „sed de rebus decreta: verbi causa, mors nihil „terribile est: alioquin et SOCRATI ita visum „fuiisset. „ Secundo, causa remota, quae in infirmitate et animae intemperantia consistit, quam ratione coercere nequit.



Affectus nullo modo in natura humana fundari Stoici asseruerunt, ita ratiocinantes: affectus ex opinionibus oriuntur, hae vero intellectus nostri, non ipsius naturae effectus sunt; naturali hinc hominis constitutione affectus haud innituntur: necessario hinc affectibus quibuslibet dominari eosque deponere penes nos est. Hac iam doctrina paradoxa illa ipsisque tantum Stoicis propria sententia orta: *Sapientem omni affectu cavere oportet.* Affectus, quod virtutis regulis contradicant, a ratione aberrant, felicitatemque impediunt, Stoici totidem, ut apathiam defenderent, argumenta supeditabant. Sapiens, aiunt, errare nescit, quaecunque enim ad virtutis regulas disponere tenetur: affectus ergo nutrire haud valet, quod impedirent, quominus recte ageret. „ Qui dominium fugit, „ ANTONINVS L. X. §. 25. dicit, fugitiuus est. „ Dominus autem est lex: ergo qui legem trans- „ greditur, fugitiuus est. — — Fugitiuus est „ igitur, qui metuit, vel angitur, vel irascitur.“

Stoici quoad hanc de affectibus doctrinam, quam maxime a Peripateticis, oppugnantur, qui affectibus magnam utilitatem, siquidem ratione regerentur, inesse docuerunt: imo impossibile adeo esse, nullas omnino sensualis voluptatis aut dolorum perceptiones habere. Nihil sentiam, si-
quis

quis me calumniatur, vel bona mea abripit? Nihil sentiam, amico me ab egestate eneruante, vel potente aduersario liberante? Haecce negare, Stoicis natura vetuit: media tamen, Peripateticorum conclusionem, hominem nempe affectibus carere non posse, eludentia excogitarunt. Dixerunt Stoici: physice quidem impossibile est, omnes commotiones tristitiae, metusue deponere; sapiens hinc in hisce casibus mutari debet: omnes hae motiones, instinctu naturae, rationi non subordinato suscitantur. Corporalem ergo dolorem, morbum, amicorum liberorumque iacturam, infortunia patriae percipit sapiens ac sentit; omni enim, vt lapis, sensatione non caret. Ast hae omnes motiones affectus nullatenus audiunt, initia tantummodo et prima affectuum stamina sunt: tria enim ad affectum requiruntur: primo, obiecti impressio, secundo, iuxta hanc agendi iudicium, et tertio denique abreptio animae hoc iudicio exorta. Primis impressionibus nullus sapiens resistere valet, sentit ergo umbras quasdam affectuum, leues commotiones, nunquam vero ipsos affectus. Accedit omnes has commotiones in ea animae parte haberi, quae irrationalis vocatur; haec afficitur, haec dolores sentit: ratio autem neququam afficitur, principiis suis constanter adhaeret, nec turbari, nec

im-



immutari potest. Sapiens statim principiorum suorum recordatur, naturam rei disquirat, cumque malum sibi obuenisse non videt, nec dolorem, morbum, et eiusmodi vera mala iudicat, primis ac involuntariis commotionibus abripi se non permittit: statum vigoremque sententiae suae retinet, quam de huiuscemodi visis semper habuit, ut de minime metuendis: sicque apathiam suam conseruat.

Stoici ANTONINVS et EPICTETVS varia apathiam conseruandi media assignant: quaedam eorum, ut in eorum libris inueni, allegabo. EPICTETVS C. I. §. 3.: „Memento, si quae natura
 „serua sunt, libera putaris, et aliena quae sunt,
 „propria, fore, ut impediaris, lugeas, perturbis,
 „Deos hominesque incuses: si id, quod
 „tuum est, solum tuum esse putaris, et quod
 „alienum, uti reuera est, alienum: nemo te cogit
 „vnquam, nemo te prohibebit, non incusabis
 „quemquam nec inculpabis, nihil ages inuitus,
 „nemo te laedet, inimicum non habebis, neque
 „enim noxium quid patieris.“ C. XII. §. 2.
 „Cum puerum vocas, cogita, posse ipsum non
 „audire; et si audierit, nihil eorum agere, quae
 „velis: at non ita bene ei est; at tibi utique bene
 „est, ut in eius potestate non sit te perturbari.“ Haec EPICTETVS. ANTONINVS L.

II. §. 2. „ Tu ergo sic tecum: senex es: partem
 „ tui principem seruire vltcrius ne fueris; sed
 „ nec motibus a communiõne humana alienis rap-
 „ tari; nec quidquam, quod fato destinatum tibi
 „ fuerit, vel iam ascitum auersari, vel futurum
 „ pauere.“ L. VIII. §. 49. „ Nihil vltcrius re-
 „ puta tecum, quam quod visa primario renun-
 „ ciauerint. Nuntiatum tibi hunc vel illum tibi
 „ conuiciatum: hoc nunciatum est, non et illud
 „ laesum esse te: hoc igitur modo in primo visis
 „ consistere semper, nec amplius quidquam eis a
 „ te intus adicias, et nihil tibi accidit, quod com-
 „ moueat te.“ Haec ANTONINVS. Plura ad-
 huc alia sunt loca, in quibus media, apathiam
 conseruandi, praescribuntur; quae vero singula
 allegare, prolixum nimis foret.

Apathia igitur praecipue circa efformanda prin-
 cipia et notiones genuinas de proprietatibus re-
 rum, vero falsoue, bono aut malo versabatur, gu-
 bernationemque sensationum praesentium ope ho-
 rum principiorum complectebatur. Apathia ergo
 ab insensibilitate plane diuersa est. Sapiens salua sua
 apathia sensationibus iucundis, felicitate frui et
 dolore vehementi affici potest; id solum cauendum,
 ne secundum voluptatem et dolorem, ex quibus-
 dam obiectis ortum, vera bona vel mala diiudicet,
 sed

sed ubique rationem suam omni affectuum impetu liberam conseruet. Stoicos autem Viro sapienti omnem sensibilitatem negare non intentasse, doctrina de sensationibus moderatis, quam sapienti quoque concessere, optime docet.

Breuis haec doctrinae moralis Stoicorum delineatio, diuersae eorum opiniones de bono et malo, de virtute et vitio, de appetitionibus et affectibus, de apathia mediisque eam assequendi omnia Stoici erga se ipsum officia continet, quorum adimplerentione sapiens perfectus exurgit, qui solus felicitate perpetua nunquam turbanda gaudet. Restat, ut eorum de suicidio doctrinam paucis attingam.

§. IX.

Sapientem eam possidere libertatem, itaque sibi dominari, Stoici adfirmarunt, ut nullum obiectum externum, nequidem Deus eum ad agendum impellere possit: alias enim posthabitis omnibus impedimentis vitaeque huius periculis virtutem solam continuo colere impossibile esset: pari enim modo, quo ab homine, vel alio quodam casu externo ad actionem ponendam cogi, ipsa etiam virtute sua privari posset; quod tamen, quoniam virtutem colens nunquam periculo virtutem amittendi expositus esse debet, ipsumque virtutis pretium

tium nimium minueretur, si circumstantiis nostris vel impediri vel auferri adeo posset, euenire non licet.

Ad stabiliendum principium hoc: Sapiens perpetua felicitate gaudere debet, cum virtus sola perpetuam ac constantem felicitatem procuret: adeo sapientis libertatem extenuarunt, ut docerent, si quando sapiens acerbis morbis, mutilatione corporis, extrema egestate, aliisque impediretur infortuniis, quominus suam assequi posset felicitatem, omnimode penes eum esse, minus sese conseruare vel etiam e vita urgente necessitate excedere. Duos vero generaliter assignarunt casus pro necessitate suicidii: primo quidem id fieri debere affirmarunt, si in bonum amicorum vel reipublicae cedat, vel ne virtutem nostram negare videamur. Secundo imminente necessitate vita relinquenda. Dum vero spes adest, fore, ut vitam honestam viuamus, vitam conseruare officium est.

„ Quomodo viuere cogitas, ANTONINVS L. V.
 „ §. 29. ait, vita mox excessurus, eodem, si
 „ volueris, viuere iam licet. Sin id minus per-
 „ miserint, quibuscum hic degis, exeas licet e vi-
 „ ta, ita tamen, ne tanquam mali quid passus.
 „ Si fumus mihi molestus est, discedo, cur hoc
 „ momenti alicuius esse videatur? Interim vero dum

„ nihil



„ nihil me, ad educendum me attigit, liber ma-
 „ neo, utpote quem nemo prohibere possit, quo-
 „ minus faciam, quae velim: velim autem, quae
 „ animantis ratione imbuti ad societatem nati na-
 „ turae sunt consentanea. “

Stoici optime contradictionem, doctrinam hanc de Succidio inter et alia principia moralia, perspicientes, hanc ut obnubilarent, ostendere satagebant, sapientem utrum felicem, quibusdam tamen in casibus non posse non vitam sibi adimere: Virtus et summum bonum in eo consistit, aiebant, ut quaecunque naturae convenienter et opportuno tempore peragantur; si ergo oportuno tempore et debito modo sapiens e vita discedere possit, officium eius est, vitam relinquere. Sicut vero sapienti in casu necessitatis vitam sibi adimere concesserunt, ita etiam ex altera parte contenderunt: insipientem omni modo vitam suam conservare teneri, licet qua insipiens necessario infelix sit: siue enim in vita maneat, siue excedat, aequae infelix est, et vitia nullam sese emittendi ansam praebent.

Luculenter ex huiusque dictis patet, et ulterior haud Stoicorum confessio requiritur, virtutem vnice felicitatem perfectam non procreare, omniaque a Stoicis, sic dicta intermedia, magnum sane,

in

in res nostras prosperas & adversas influxum habere: adeoque honestum solum summum et unicum bonum appellari vix posse.

Satis haec de Officiis Stoicorum erga se ipsum dicta sunt, quae, donec cum iis Christianorum comparemus, prius, quid iidem Stoici de statu animae post mortem senserint, praevidendum.

§. X. *

Stoici postquam hominem quasi Deorum aemulum, animantium Regem et terrarum Dominum in pulcherrimam huius uniuersi ciuitatem introduxerunt, ita illum educunt, quasi ventri per aliquod tempus seruire, et corporis aegri ministrum agere natus sit: hoc vero vitae munere peracto, aeterno somno sepeliri debeat.

In eo quidem omnes consentiebant Stoici, nullam immortalitatis spem animis nostris esse propositam: magna tamen certamina et dissensiones inter eos oriebantur, quando de tempore dissolutionis animorum nostrorum quaerebant. Plurimis statim cum corporibus animos deleri: quidam vero
aut

*) Meiners's vermischte philosophische Schriften, II. Theil, Seite 265.



aut omnibus, aut sapientibus vsuram largientes, permanfuros quidem animos, neutiquam tamen aeternos fore, sibi aliisque persuaferant. Iidem tamen Stoici, qui alterutram harum opinionum adoptauerant, in sententia semel probata non semper perstabant; verum modo rotam quaestionem in medio relinquebant, modo ad migrationem quandam animorum propensiores videbantur, postremo ad certam interdum immortalitatis spem sese erigebant. Nunquam magis in Stoicorum iudiciis stabilitatem et constantiam desideres: non solum errabant, sed in erroribus quoque fluctuantes diuersis temporibus in contrarias partes trahebantur.

Plurimi Stoicorum, eadem, qua corpus, morte animum interire statuebant. Huic opinioni PANAETIVS, EPICTETVS, ANTONINVS et SENECA fauebant. Ex his vero, quos nominaui, Philosophis nemo, PANAETIO excepto, erat, qui pro sententiae suae veritate rationes attulisset: coeteri omnes doctrinam de animae mortalitate quasi certam, et nulla argumentatione indigentem ponebant. EPICTETVS hanc de animorum post mortem statu quaestionem consulto praetermittere videtur. Semel tantum ad eam deuoluitur, eamque ita soluit, vt cum PANAETIO eum consensisse appareat. Sumit nimirum hominem ex quatuor

diuersis

diuersis naturis concretum esse, et post mortem in eadem, de quibus compactus fuerit, elementa dissolui: nullos esse locos inferos, nullum Acherontem: omnia Deorum et Daemonum esse plena. Nusquam doctrina de animi aeternitate ad consolandos viros honestos: nullibi etiam ad terrores insipientibus et scelestis iniiciendos vtitur. Vel ex hac sola obseruatione sine aperto ipsius testimonio concludere possemus, illum maximae Stoicorum parti adstipulantem animis nostris ne vsuram quidem vllam post corporis mortem dedisse.

ANTONINVS, quem ad Stoici sapientis exemplar proxime accessisse recte diceres, saepius ad illam cogitationem redit: quae tandem fata homines post corporum interitum maneant? Licet vero interdum dubius haereat, intereantne hominum animi, an vero post corporis mortem superstites sint; alibi etiam vitae aliquod tempus animis post eorum e corporibus exitum largiri videatur: certum tamen est, si ipsius sententiam ex plurimis locis colligere velimus, illum quoque hominum animis mortem subitam indixisse. Vitam humanam

L. II. §. 17. L. III. §. 10. temporis puncto, vniuersam hominis naturam rapido torrenti comparat: mors vero ipsi totius corporis in amica et cognata



elementa solutio est. Alio loco L. IV §. 14. de se ipso lo-
 quens tempus fore ait, quo in eandem naturam, quae
 se ipsam genuerit, reuertatur, siue potius in ra-
 tiones mundi seminales recipiatur. L. V. §. 4.
 Clariora sunt, quae sequuntur, quibus se ipsum ex-
 citat ad naturam optimam ducem sequendam, do-
 nec concidat, et animam in eandem auram, vnde
 illam delibauerit, exhalet, reliquis vero elementis
 omnes particulas reddat, quibus conceptus, auctus,
 et ad vltimum vitae diem sustentatus sit. Paucis
 vero sectiunculis interiectis addit: se ex duabus
 partibus siue causis constare: altera efficiente, al-
 tera huic quasi se praebente et subiecta: neutram
 harum neque ex nihilo ortam esse, neque in ni-
 hilum redactum iri: omnes tamen sui partes, ex
 natura desumptas, illuc, vnde natae sint, reditu-
 ras esse et in immensum ex aliis in alia elementa
 transmutatum iri.

Nemo vero inconstantior et secum minus
 consentiens est, quam gloriosissimus omnium Stoi-
 corum, SENECA; neque enim in diuersis tan-
 tummodo libris, verum in eadem commentatione,
 in eadem Epistola diuersas et secum pugnantes sen-
 tentias proponit. Siquis tamen illius iudicium ex
 plurimorum testimoniorum consensu elicere velit:
 etiam hunc animorum subitam post corporis mor-

rem dissolutionem credidisse inueniet. „Cogita,
 ad Martiam scribit C. 19. nullis defunctum malis
 affici: illa, quae nobis inferos faciunt terribiles,
 fabula est. Nulla scimus imminere mortuis tene-
 bras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne,
 nec obliuionis amnem, nec tribunalia. — — Lu-
 ferunt ista Poëtae et vanis nos agitauere terrori-
 bus. Mors omnium dolorum solutio est et finis:
 ultra quam mala nostra non exeunt, quae nos in
 illam tranquillitatem, in qua antequam nascere-
 mur, iacuimus, reponit. Id enim potest aut ma-
 lum esse, quod aliquid est: quod vero ipsum nihil
 est, et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortu-
 nae reddit.“ Epistola vero 71. docet: certis cuncta
 ire temporibus, omnia nasci, crescere, extinqui.
 „Quaecunque vides, LVCILLIVM suum alloqui-
 tur, supra nos currere et haec, quibus innixi at-
 que impositi sumus, veluti solidissimis fundamentis
 carpentur ac desinent. Nulli non senectus sua est:
 inaequalibus ista spatiis eodem natura demittit.
 Quidquid est, non erit, nec peribit, sed resoluetur.
 Nobis solui, perire est.“ Tandem Epistola 102
 amico suo scribit sese maxima cum voluptate de
 animorum aeternitate cogitasse, et iamiam opinio-
 nibus magnorum virorum, rem gratissimam pro-
 mittentium magis quam probantium, credidisse:



experrectum vero LVCILLII Epistola tam bellum
somnia perdidisse.

Nobilissimi igitur Stoicorum Philosophi statim
post mortem animas nostras dissolui putabant. Om-
nes enim humani corporis partes in illas, vnde
sumptae sint, naturas reuerti: spirabiles in aurem,
humidas in aquam, terrenas in omnium nostrum
matrem: igneas vero in artificiosum illum sensus et
rationis compotem, ignem: totum denique homi-
nem ita antiquis elementis immisceri, vt nullus
post corporis interitum sensus, nullum vitae ante-
actae, et innumerarum rerum, mente percepta-
rum, vestigium relinquatur. Sic ipsi illi Stoici,
qui diuinam animorum originem tanto vbique stre-
pitu inculcabant, in altera de ipsorum exitu do-
ctrina misere et aniliter hallucinabantur.

§. XI.

De officiis Christianorum erga se ipsum.

Quemadmodum, vt superius iam vidimus, do-
ctrina Christianorum de Deo et Officiis ei de-
bitis, ea Stoicorum perfectior est: sic in doctrina
etiam de officiis erga se ipsum, Christiani Stoicos
antecellunt.

Christianus de existentia Dei, eiusque prou-
dentia, omnipotentia et bonitate conuictus: certus

idem

idem se ab omnipotenti hoc Deo, et quidem ad imaginem ipsius, ad immortalitatem creatum esse: persuasus denique eidem huic Deo nihil magis curae esse, quam creaturae suae salutem et felicitatem aeternam: cuncta a Deo praescripta officia erga se ipsum accurate implet, quia haec est voluntas Dei. Considerat corpus et animam tanquam talenta a Deo sibi tradita, quorum exactam reddere rationem debet: et in hoc iam superat Stoicos, qui officia, quae docebant, non ita referebant ad Deum, quasi ei desuper rationem reddere deberent; sed ex minori tantum hoc motiuo officia erga se ipsum implentes, ut virtutem et cum ea coniunctam felicitatem terrenam assequerentur.

Christianus obligatum se scit ad curam animae gerendam, eamque perficiendam; quae perfectio consistit in studio excolendi intellectum et voluntatem. Fluit haec obligatio ex ipsa harum facultatum perfectibilitate: suus enim quemlibet sensus intimus docet, miris modis intellectum et voluntatem perfici posse: docet quemlibet sensus intimus, nos omnes, verum cognoscendi, et honestum videndi cupiditate trahi: patet etiam et maxime haec obligatio ex praestantia, ex sublimitate veritatum christianarum; quo sublimior enim veritas, eo magis etiam exigit ingenium excultum. Debet ergo



et sapientiae et prudentiae studere: nihil temere et non satis cogitate suscipere: optima semper media ad finem honestum consequendum eligere, electa vero recte etiam applicare: appetitiones et inclinationes voluntatis, rationi consentaneas excitare: voluntatem malis appetitionibus et inclinationibus iam corruptam corrigere: efficacem denique boni et mali cognitionem sibi acquirere.

Stoici quidem etiam hanc intellectus et voluntatis curam commendarunt: velle Stoicorum sapiens semper id debet, quod naturae conforme, quod rectum est: verum in eo errabant summopere, quod vellent hominem sine vlllo esse affectu. Christianus econtra studet, non vt exterminet omnes affectus; quod impossibile; sed quod est praestantius, vt imperium in illos exerceat: charitatem erga Deum in se vt praedominetur, efficit.

§. XII.

Stoici omnem corporis curam negligebant; vtpote secundum quos nequidem pars nostri ipsorum est. Suicidium probabant et suadebant: corpus est triste et obscurum domicilium, ergastulum et carcer animae, ex quo exire licet: corpus est vestis, quam, si non amplius placet, abiicere licet: paret exitus. — Quae sunt nota illorum argumenta.

Quanto

Quanto praeclarius vero et praestantior est doctrina Christianorum: non licet se ipsum occidere? quot iam praeclaros viros doctrina haec societati humanae seruauit, cum suos Stoici mundo rapiant. Fugit Christianus suicidium tanquam peccatum grauissimum: iniurius enim suicida est Deo, dominium diuinum violans: iniurius societati, priuans eam membro; cum nullus hominum vult infelix sit, qui non quidquam ad vtilitatem societatis humanae conferre possit: iniurius denique sibi, se enim, animam suam post mortem infelicem reddendi, periculo exponit.

Cum corpus aequae a Deo, aequae pars hominis sit ac anima; hinc Christianus corpus suum curat et perficit: corpus enim instrumentum est perficiendi animam eamque felicem reddendi: scimus, quantum dependeat perfectio animae a corpore: scimus, quod si corpus male sit dispositum, anima etiam impediatur in suis operationibus. Ne autem haec cura nimia sit et delicatior, quam oportet, Christianus insimul corpus suum mortificat, ne caro rebellet aduersus spiritum: studet, ut naturalis ille instinctus vitam conseruandi eleuetur et sanctificetur: sanctificatur autem, quando ideo tantum vitam conseruare studemus, ut longiorem et uberiorem occasionem habeamus, in virtute



proficiendi, gloriam Dei et salutem proximi promouendi.

Bonae existimationis, famae nullam plane habendam esse curam Stoici docebant, ut abunde patet ex EPICURETI Enchiridio. — Christianus quidem etiam in exercitio virtutis non respicit ad hominum iudicia, semper memor illius: non efficiamur inanis gloriae cupidi. — Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Famam tamen bonam ex eo non negligit, ut possit officiis status sui melius satisfacere, et proximo semper magis magisque prodesse. Cuius enim bona fama imminuta est, qui male audit, is certe societati tantum, quantum vellet utilitatis afferre, vix poterit.

Docuerunt denique Stoici, voluptates et diuitias, tanquam res indifferentes contemnendas esse. — — Christianus contra quidem etiam docet meritum esse licitis carere voluptatibus: docet heroicum virtutis actum exercere eum, qui relictis diuitiis, paupertatem amplectitur euangelicam. Scit tamen nihilominus, nos licite frui honestis mundi gaudiis: diuitias magnorum esse posse occasionem meritorum: parsimonia hinc et labore bona sic dicta fortunae acquirere, acquisita mediis licitis conseruare studet. Cauere tamen Christianus debet, ne animus hisce bonis temporalibus ita adhaereat,

haerescat, vt, si Deus illis eum priuare velit, animo inde deliciatur, et contra diuinam insurgat prouidentiam: illius Christi memor, quod facilius sit, vt intret Camelus per foramen acus, quam diues in regnum coelorum: cuncta bona terrestria eo tantum sine possidet, vt maiora iisdem et altiora in coelis, sibi acquirere possit. Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, vt vos recipiant in aeterna tabernacula. Atque haec de Officiis Christianorum erga se ipsum. Restat, vt, quae Officia, Stoicis aequae ac Christianis, erga proximum sint, paucis videamus.

CAPVT III.

DE OFFICIIS STOICORVM ET CHRISTIANORVM ERGA PROXIMVM.

§. I.

Sunt Stoicorum erga proximum Officia, adeo illis Christianorum similia, vt ea ex morali Christianorum ab ipsis assumpta crederes.

Proximum diligere, et curare et sustinere, iniuriaque omni abstinere, et beneficentia prosequi nec sibi soli genitum censere se, aut viuere, sed in commune bonum: et beneficum cunctis pro facultate viribusque semet exhibere: reipsa reique bene gestae conscientia, citra testem, aut mercedis



dis spem, commodiue proprii intuitum, contentum agere: a beneficio vno praestito ad aliud transire, nec vnquam benefaciendo defagitari: sed vitae telam, tanquam viuendi fructus hic sit, benefactis sibi inuicem continenter annexis, ita totam pertexere, vt nusquam interueniat hiatus ullus, vel minimus: beneficii loco, quod benefecerit habentem sibi que profuisse existimantem, si alii cuiquam vsui esse potuerit: nec extra se proinde quidquam vel laudis humanae vel lucelli, aut aucupantem aut exspectantem: Officia haec sunt Stoicis cum Christianis communia.

§. II.

Amori tamen proximi, de quo plura praeclara locuti sunt Stoici cum reliquis antiquis Philosophis, nouam faciem induxit Euangelium.

Amor enim ille proximi, de quo Philosophi loquuntur, non est adeo vniuersalis, quam ille a Christo praeceptus: notum enim est antiquos hos Philosophos, amorem proximi restrinxisse tantum ad patriam, ad conciuces: vnde amor ille patriae natus. EPICURETUS quidem et ANTONINUS dilectionem inimicorum commendant: verum hi, imprimis plura hausere ex religione Christiana: ipsa dein motiua, queis ad hanc virtutem adliciunt

exer-

exercendam, nitent potius, quam vera sint et efficacia. Non nisi ab homine, qui cupiditate sit obcaecatus, nos offendi dicunt, ideoque huic tam parum, quam coeco vel surdo irascendum; omnia, in quibus laedi possimus, esse indifferentia, parum referre, quae de nobis minuti homines loquantur. Instillant haec potius contemptum, quam verum inimicorum amorem.

Christus vero, veniens in mundum, sustulit hoc discrimen, et omnes homines, inimicos etiam amari voluit. Matth. Cap. 5, v. 43. dicit: „Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus vos et calumniantibus: si enim diligitis, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis! Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et Ethnici hoc faciunt! Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est. “

Amor dein ille Philosophorum non est fortis adeo, ac ille in Euangelio praescriptus. Motiua enim, quae illi adferebant, desumpta tantum fuere e Philosophia: motiua autem, quae Christus proposuit: desumpta sunt ex Religione et Reuelatione:

pro-



propositum est hoc praeceptum diligendi proximum tanquam medium in amore Dei perseverandi et praeceptum illud se ipsum diligendi, a Christo tanquam prototypon propositum fuit, iuxta quod proximum diligere oporteat.

Amor denique ille non adeo sanctus est, ac ille Christianorum: amor enim eorum modo consistit in exterioribus, de interioribus autem parum erant solliciti: amor vero proximi a Christo praescriptus non tantum in exterioribus continetur, sed ex corde beneuolo procedere debet.

Absoluta iam doctrina Stoicorum aequae ac Christianorum de officiis erga Deum, se ipsum et proximum; superest, ut, quid de Morali Stoicorum sentiam: paucis edicam.

§. III.

Stoicorum principia moralia in se spectata, quae homini ad se ipsum perficiendum praescribunt, transmissis illis notionibus falsis de Deo, providentia et immortalitate animae, sublimia reuera, nec Christiano indigna sunt. Ipsi tamen Stoici in exercitio virtutis nunquam eo peruenerunt, ut, cum e Cynicorum systemate praeprimis doctrinam suam hauserunt, qui prae aliis iam virtutem vnice bonam habentes, praeter eam omnes res alias indifferentes

rentes et homini inconuenientes statuerunt, vt, inquam, Cynicorum etiam more vixissent, vt DIOGENES abs habitatione fixa et vestibus, pallio solum crasso incessissent: more potius aliorum hominum viuentes, non pauci eorum, quin principijs suis contradicere putarent, opes, domos pretiosas, hortosque magnificos possedisse.

Iure hinc Stoicis nimiam principiorum moralium exagitationem imputari posse arbitror: quae eadem; fors eos ad abominandum illud principium perduxit, quo omnem doctrinae suae nitorem obumbrarunt, omnemque felicitatem, quam sapienti pulcherrimis depinxerant coloribus, summaque cura commendarant, vno quasi ictu annihilarunt: doctrinam nempe de suicidio.

Sapienti virtutem possidenti, perfectissimam adscripserant felicitatem, coniunctam cum libertate ita illimitata, vt nullum obiectum, nequidem Deus, eum ad actionem ponendam impellere queat: virtutem enim colens, nullo casu eam perdere debet: sapientem igitur, remotis cunctis impedimentis, vitaeque periculis, virtutem constanter sequi necesse est. Quotidiana vero eos edocente experientia plures homines minis, cruciatibus et mortis metu saepius cogi, vt inuiti agant, saepiusque virtutis amittendae periculum incurrant: hinc,

ne



ne sapiens periculis his obruatur, suicidium largiter concessere. Hac via doctrinam de suicidio, ex nimia principiorum moralium exagitatione, ortam credo. Vndenam vero haec exagitatio?

Hanc esse sequelam arbitror falsarum, quas Stoici habuere, notionum de Deo, eius providentia, et animae immortalitate; quae tamen prima virtutis flamina, naturae nostrae a benignissimo Creatore indita, excoli magis et extolli debent: in quarum defectu vera virtus, felicitas firma suo vigore sistere nequit.

Stoicis optime prima haec virtutis flamina innotuerunt, eaque magis semper magisque perficere, et hominem in virtute roborare studuerunt. Promittunt hinc homini virtutem possidenti felicitatem perfectissimam; sapiens omnia extra se posita, et corpus tantum concernentia non curet, quia indifferentia sunt, et nihil plane vel ad augendam, vel ad minuendam felicitatem suam conferunt, hisce adeoque in felicitate sua turbari nequit. Perfecta eadem, qua Deus, et sapiens Stoicus gaudet felicitate; nec Dei felicitas maior est, eo quod illam sapientis, citius finiendam, prolongatione superat; summum enim bonum non quoad circumstantias externas, sed solummodo quoad
har-

harmoniam actionum cum virtutum praeceptis,
aestimatur.

Dolendum sane, in hoc systemate nonnisi verba splendida reperiri, quae tunc valorem quendam fors obtinerent, quando nec cibis nec corporis commercio indigeremus, nec vllum dolorem perciperemus; necessario vero Stoici ita docuere, quod de vera, generali aequae ac speciali Dei prouidentia, de futuro animae statu incerti, omnem hominis felicitatem, ad breuem hanc, totque mutationibus obnoxiam vitam terminarunt. Illud tamen fatendum, Stoicos inter omnes veteres Philosophos praeclarissime de virtute scripsisse proximeque ad Religionem Christianam accessisse.

T A N T V M.



E

THE-


T H E S E S
 EX VNIVERSA
T H E O L O G I A .

* Quae ex Sacra Scriptura statui solent Theses, immiscui
 Thesibus ex Theologia vniuersa.

*EX HISTORIA ECCLESIA-
STICA.*

Consideratur breuiter status externus Concilio-
rum generalium.

I.

*Historia Conuocationis Conciliorum gene-
ralium.*

1. Ante Graecae Ecclesiae Schisma Concilia gene-
ralia habita sunt in Oriente, et conuocata ab Im-
peratoribus.
2. Concilia generalia Occidentis conuocata a Pon-
tificibus Romanis.
3. Concilium Pisanum conuocatum a Cardinalibus.
4. Imperatores Orientis ciuitatem, in qua haben-
dum esset Concilium generale, sibi optime visam
elege-

elegerunt: in Occidente super loco Concilii celebrandi subin contentiones exortae sunt.

5. Circa conuocationem Concilii Constantiensis Imperator Sigismundus videtur aliquid iuris illius, quo gauisi sunt Imperatores Graeci, exercuisse.
6. In Oriente Concilia generalia sicubi necesse erat, transferebantur ab Imperatoribus, in Occidente a Papis.

II.

Historia praesidii in Conciliis generalibus exerciti.

1. Ad Concilia generalia Orientis Pontifices Romani miserunt legatos, exceptis Constantinopolitano 1mo et 2do.
2. In omnibus Conciliis generalibus Orientis praefederunt legati Pontificum: exceptis Constantinopolitano primo et secundo.
3. In Concilio Constantinopolitano quarto, legati Papae examinati fuere, super allatis litteris, et data sibi potestate.
4. In eodem Concilio Purpurati examinarunt Episcopos cum Photio communicantes.
5. Conciliis generalibus in Occidente habitis, Papae vel ipsi praesedere, vel praesides misere.



6. Imperatores aut eorum purpurati Conciliis praesidentes, praesidium politicum, nunquam vero Ecclesiasticum habuerunt.
7. Primae et secundae Sessioni Concilii Constantiensis praefuit Papa Ioannes XXIII., ab hac dein Sessione vsque ad 42dam varii fuere Concilii praesides.
8. In Sessione XIVta Cardinalis Ragufanus denuo hoc Concilium nomine Gregorii 12mi conuocauit.
9. In Concilio Constantiensi non valebant singula singulorum Episcoporum Suffragia, sed ea tantum nationum, in quas Episcopi erant distributi.

III.

Historia Confirmationis Decretorum in Conciliis generalibus conditorum.

1. Concilia generalia Orientis ab Imperatoribus confirmata sunt.
2. Quaedam Concilia generalia Orientis solenniter a Papis fuere confirmata.
3. Imperatores Orientis, Decretis Conciliorum semper vltimo loco subscripserunt, excepto Concilio Constantinopolitano 4to.

4. Ale-

4. Alexander V. Papa omnia Concilii Pisani acta confirmavit.
5. Eugenius IV. Decreta Synodi Basileensis, quae ante eius translationem condita fuerant, confirmavit.
6. Patres Concilii Tridentini per legatos ad Pium IV. missos, confirmationem huius Concilii petierunt.
7. Pius IV. omnia Decreta Concilii Tridentini solenniter confirmavit: quae tamen confirmatio longe diversa fuit a confirmatione aliorum Conciliorum a Papis fieri solita.

IV.

Historia promulgationis Decretorum.

1. Promulgatio Decretorum Concilii Nicaeni, Episcoporum praecipuis commissa est.
2. Solennis Concilii Constantinopolitani 4ti promulgatio facta est.
3. Concilium Pisanum edidit Sanctionem, in qua statuitur, ad omnes reges mittendos esse nuntios, qui acta huius Concilii promulgent.
4. Concilium Tridentinum solennissime promulgatum fuit.



EX THEOLOGIA VNIVERSA.

α. Praecognitiones.

1. **E**xistit ens a se.
2. Quod est necessarium, aeternum,
3. Infinitum,
4. Simplex,
5. Immutabile,
6. Igitur a mundo distinctum.
7. Hoc ens a se nonnisi vnicum est.
8. Creauit mundum
9. Ad felicitatem summam, in ipsius cognitione et amore sitam.
10. Voluntas entis a se libera est.

β. Veritas Religionis Christianae.

1. Apostoli et discipuli Christi fundarunt Ecclesias in praecipuis romani Imperii ciuitatibus.
2. Primitiuarum Ecclesiarum consentiens testimonium valere plurimum debet, cum quaeritur, quid Apostoli docuerint, et scripserint.
3. T. N. authenticum est.
4. Incorruptum ad nos peruenit.

5. Scripto-

5. Scriptores N. T. merentur omnem fidem.
6. Christus patrauit miracula,
7. Vt probaret, se esse Dei legatum ad homines.
8. Christus veras edidit Prophetias.
9. Religio ergo Christiana diuina est.

γ. Veritas Religionis solius Catholicae.

1. Christus leges positiuas tulit.
2. Instituit societatem nouam, spiritualem] et visibilem.
3. Ecclesia vsque ad finem mundi perdurabit.
4. Christus dogmata, quae ad necessaria religionis officia pertinent, docuit, de quibus tamen, sine interprete authentico, dubia nullo modo superanda nobis relictasunt.
5. Christus Apostolos fecit infallibiles.
6. Dedit Apostolis potestatem, poena spirituali animaduertendi in refractarios.
7. Potestatem legislatricem et iurisdictionem, quam Apostolis dedit, Petro sudordinauit.
8. Petrus Romae aliquamdiu ante mortem suam vixit, ibique martyrium subiit.
9. Christus voluit, vt potestas legislatoria et iuris-



dictio omnis, Apostolis data, ad ipsorum succes-
sores perpetuo transmittantur.

10. Igitur iudicium Ecclesiae in causis fidei et mo-
rum infallibile est.

11. Libri V. et N. T. prout a Concilio Tridentino
admittuntur, inspirati sunt.

12. Datur Traditio diuina.

13. Sola religio catholica vera est.

δ. Christus redemit genus humanum.

1. Quotquot viuunt homines, ortum habent ab
Adamo et Eua.

2. Primi parentes conditi sunt in statu felicissimo,
qui a nostro quoad res externas, corpus et ani-
mam longissime diuersus est.


3. Hoc statu exciderunt peccando.

4. In suae ruinae societatem traxerunt posteros,
ita, vt omnes corrupti nascamur: et omnium,
quarum ipsi, poenarum rei.

5. Promisit Deus, vt genus humanum aliquando
restitueretur.

6. Dogma de venturo mediatore successu tempo-
ris magis fuit determinatum, ac clarius euo-
lutum.

7. Me-

- 
7. Mediator Deum inter et hominem fuit Iesus Christus.
 8. Qui nos Deo reconciliauit, Patri pro nobis morte sua satisfaciens.
 9. Gratias nobis promeritus est.
 10. Gratia Christi est ad salutem necessaria.
 11. Est externa et interna.
 12. Gratiae resisti potest.
 13. Gratiae praecipue dispensantur per Sacramenta.
 14. Quaedam sunt mortuorum, alia viuorum Sacramenta.
 15. Baptismus est omnibus ad salutem necessarius.
 16. Iterari nequit.
 17. Habitus fidei, spei et charitatis: qui in Baptismate infunduntur, Confirmationis Sacramento roborantur.
 18. Poenitentiae Sacramentum est secunda post naufragium tabula.
 19. Per modum iudicii a Christo institutum est.
 20. Hinc specifica peccatorum confessio necessaria est.
 21. Solis Episcopis et Sacerdotibus competit potestas absoluendi a peccatis.



22. Remissa culpa poenaque aeterna, poena quaedam temporalis adhuc exsoluenda est.
23. Haec vel sponte susceptis poenitentiae operibus vel indulgentiis ab Ecclesia concessis solui potest.
24. In Eucharistia Christus vt Deus et homo realiter praesens est.
25. Nulla ibi remanet Substantia Panis et Vini.
26. Sacramento extremae Vnctionis ad magnum aeternitatis iter accingimur.
27. Ordo est verum N. L. Sacramentum.
28. Hierarchia diuinitus instituta constat Episcopis, Presbyteris et Diaconis.
29. Omnia illa et sola iura sunt Papae essentialia, sine quibus vnitas seruari nequit.
30. Omnis ille et solus est Catholicus, ac proin membrum verae Christi Ecclesiae, qui communicat cum centro vnitatis.
31. Societatem coniugalem Christus ad Sacramenti dignitatem eleuauit.
32. Matrimonii consummati vinculum est indissolubile.
33. Polygamia prohibita est.

s. Perfecit Religionem Reuelatam.

1. Sunt tres in Deitate personae.
2. Filius est Patri consubstantialis.
3. Duae sunt in Christo naturae, persona una.
4. Spiritus S. a Patre Filioque procedit.
5. Datur prouidentia specialissima.
6. Deus est pater optimus vniuersi generis humani.
7. Oportet illum in spiritu et veritate adorare.
8. Debemus illi cultum externum.
9. Nobilissimus cultus externus est Sacrificium Missae.
10. Sacrificium hoc incruentum idem est, ac illud cruentum in cruce peractum.
11. Pium et vtile est Sanctos inuocare.
12. Deum vt filii amore summo amare tenemur.
13. Charitas erga Deum omnium actionum nostrarum principium dirigens et motiuum fit, oportet.
14. Obedientiam et fiduciam maximam Deo debemus.
15. Deus iudex noster seuerissimus erit.
16. Ibunt iusti in vitam aeternam.
17. Qui moriuntur in peccato mortali, detruduntur in infernum.

18. Ex



18. Ex inferno nulla redemptio.
19. Datur purgatorium.
20. Animae in purgatorio detentae possunt piis fidelium operibus adiuuari.
21. In eadem carne resurgemus.
22. Tenemur, etiam cum periculo vitae fidem externe profiteri.
23. Licitis carere voluptatibus Deo gratum est.
24. Tentamur a carne, mundo et diabolo.
25. Praecipua christianae virtutis adiumenta sunt frequens Sacramentorum susceptio, oratio, et meditatio veritatum aeternarum.
26. Vota sancte seruanda sunt.
27. Iuramenta licita sunt, et actus religionis.
28. Perfectioni sui ipsius studendum.
29. Suicidium prohibitum est.
30. Proximus etiam inimicus diligendus.
31. Suum cuique tribuendum.
32. Iniustum vitae aggressorem licet occidere, seruato moderamine inculpatae tutelae.
33. Duellum prohibitum est.
34. Legibus Ecclesiae et Principum propter conscientiam obediendum.

3. *Comparatur Lex Noua cum Veteri.*

1. Synagogam ingredi, necessitatis non erat.
2. Ecclesiam ingredi, utpote extra quam non est salus, necessitatis est.
3. Lex Mosaica quoad Ceremonialia genio tantum nationis iudaicae accommodata, et, ut in ea seruarentur eloquia Dei, data fuit.
4. Lex Christiana omnibus gentibus accommodata, ita quidem, ut omnes gentes in vnam Ecclesiam ex intentione Christi congregandae sint.
5. Motiua virtutis clarius et maiori cum energia in N. T. sunt proposita, quam in V. T.
6. Vberiores gratiae in N. L. dispensantur, quam in V.
7. Lex Vetus differt a Noua, sicut puer a viro.

7. *Merita Religionis Christianae erga naturalem.*

1. Ante Christum natum notio vnus et veri Dei maximae hominum parti peregrina et incognita fuit.
2. Religio Christiana et haec quidem sola genus humanum ab insana in idololatriam propensione sanauit.

3. Prin-



3. Principia Religionis naturalis, quae in Corano sunt, haufit Mahometes ex Religione iudaica et Christiana.
4. Philosophi Christiani longe purius tradunt Systema Religionis naturalis, quam Philosophi Graeci et Romani.
5. Quae emendatio religionis naturalis nulli alteri causae adscribi potest, quam Religioni Christianae.
6. Mores hominum Religio Christiana emendauit.
7. Eadem Religio genus humanum arctius inter se copulauit, atque publicam regnorum tranquillitatem magis stabiliuit.

8. *Adduntur adhuc alia quaedam Argumenta.*

1. Religio Christiana quaestiones summi momenti, ad tranquillitatem nostram maxime necessarias, quas ratio sibi relicta soluere nunquam potest, sola soluit.
2. Virtus, quam exigit Religio Christiana, sublimis, Deo, hominique dignissima est.
3. Ipsa interna religionis Christianae praestantia non leue argumentum est, illam esse veram.
4. Ex conuersione et actis Pauli probari potest, Religionem Christianam esse veram.

5. Idem

5. Idem ostendi potest ex mira religionis Christianae propagatione.
6. Sola Ecclesia Romano-Catholica est vna, sancta, apostolica, et vniuersalis.
7. Quae modo Ecclesia Romano-Catholica docet, Dogmata non differunt a Dogmatis primorum 5 Saeculorum.
8. Tot igitur argumentis confirmatur Veritas atque Diuinitas Religionis Christianae, et solius catholicae, vt, si in errore simus, a Deo ipso decepti simus.




[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Handwritten notes in the right margin, including numbers and partial words]

[Red handwritten notes in the left margin]



- 1.) Hober In sensum Canonis gratiani
de Confessione - 1787
- 2.) De Hagen De Variatione Protestan.
tum de Justificatione - 1788
- 3.) Conrad Ladronc Vindicta in summa - 1784
- 4.) Oberthun Diss. exponens Iustini de P.
de precipuis religionis dogmat, sententiam
1778
- 5.) Neeb De Dilectione inimicorum - 1791
- 6.) Diss. de fontibus et locis theol. moralis
1784
- 7.) Schneider De Philosophia in us. Tribunali
usu - 1786
- 8.) Rosshirt Diss. de morali Aoticorum
comparata cum illa Christianorum - 1787



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black

TIFFEN Gray Scale © The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B				W			K			C	Y		M		

